UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani Ivrivm Doct. Ac Comitis,Ivrisqve Pontificii Ordinarii Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum Patroni

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

Ratione personæ & rei vitiatur resignatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63686

Visual Library

niſi per ſententiam declaretur, vel habeatur pro derelicto, facto vel verbo.

Indultum Cardinalis an extendatur ad epiſcopatū de nouo acquiſitum.

44 Quartus caſus Cardinalis habens indultum à Papa, vt nullus poſſit conferre beneficia ad ſuam collationem ſpectantia, non poterit vti illo indulto in beneficiis epiſcopatus, cuius non accepit poſſeſſionem: ideoque Papæ legatus interim, vel alius poterit conferre beneficia ad epiſcopatum ſpectantia ante poſſeſſionis adeptionem: *vt conſuluit de Ripa lib. 2. de reſcrip. c. 31. quæritur, allegans Dinum in regul. 1. de reg. iur. in 6. & Archidiac. in cap. eum qui de præb. eod. & Anch. in regu. ſine poſſeſſione, de reg. iur. eo.* quia prælatus debet accipere poſſeſſionem antequam adminiſtret, & ante adeptam poſſeſſionem conferre non debet in præiudicium illius qui eſt in poſſeſſione prælaturæ. *Innoc. in c. in literis, de reſt. ſpoliat. Panor. in c. tranſmiſſum per cap. licèt epiſcopus, de præb. in 6.*

45 Ita quoque ſi Cardinalis reſignauerit, vti poterit ſuo indulto in beneficiis vacantibus, quouſque bullę Abbatiarum vel Epiſcopatuum quos reſignauit, ſibi fuerint intimatæ: & reſignatarius in poſſeſſionem miſſus Epiſcopatus vel abbatiæ de nouo collatæ.

Conſuetudo vt quis poſſeſſionē ante adminiſtrationem accipiat valet.

46 Quintus caſus eſt, vbi conſuetudo viget, vt quis poſſeſſionem accipiat, antequam adminiſtret, tunc non licebit conferre, vel alia facere ante poſſeſſionem adeptam, ſi quidem valet talis conſuetudo. *Panor. & alii in c. tranſmiſſam, de elect. col. 3. per cap. ad hæc, & c. vt noſtrum, de officio Archid.* alioqui fruſtra inducta eſſet inſtallatio, & in poſſeſſionem miſſio ſi non obſeruaretur: *c. ſi quis ordinatus, cum ſeq. 92. diſtinct. gloſſ. in ver. promotus, in § cenſuit, ca. licèt, de electio. in pragmatic.* probanda tamen hæc eſſet, niſi ſit notoria. *Ioa. de Selua in trac. de benef. in 2. parte, q. 15. Franciſ. Marc. in deciſ. Delph. q. 49 in 2. parte deciſ.*

Adminiſtratione durante temporalium rerū epiſcopatus an epiſcopus conferre poſſit.

47 Sextus caſus, licèt Regaliorum iure noſter Rex per delegatos & commiſſarios adminiſtret pendente vacatione temporalia, tamen adhuc poterit reſignans conferre beneficia, antequam reſignatarius adeptus ſit poſſeſſionem. Quia licèt remota ſit à iure reſignante adminiſtratio temporalium, non tamen ſpiritualium: igitur is antiquus prælatus, cùm ſit in illa iuſta poſſeſſione, quouſque venerit ſucceſſor, poterit conferre: & præſentare, *per c. conſultationibus, de iure patr. docet Ioa. de Selua in trac. de benef. in 2. parte. d. q. 15.*

Conſuetudo regni vt Epiſcopus ante fidelitatem factam non adminiſtret.

48 Veruntamen licet in temporalibus longa regni conſuetudine ſeruetur quòd prælatus non adminiſtret ante receptam poſſeſſionem, & factam Regi fidelitatem, & præſtitum iuramentum: quandoquidem ea ſunt in manu Regis, ſecus tamen in ſpiritualibus: nam ſtatim atque fuit collatus Epiſcopatus ſpiritualia omnia ſuſcipiuntur à Papa, & ſic ab eo tempore, quo prouiſus ſuſcepit literas, poterit conferre, niſi cùm vacaret per reſignationem: quia tunc in præiudicium reſignantis exiſtentis in poſſeſſionem, nó poterit nouus prælatus conferre, donec adeptus ſit poſſeſſionem ſuæ eccleſiæ, & literas ſuæ prouiſionis receperit, *ſecundum d. Extrauag. Iniunctæ.* ergò ſimulatque receptæ ſunt literæ, vel alicui eſt prouiſum, dum nullus alius ſit in poſſeſſione epiſcopatus, poterit epiſcopus conferre: Nempe hoc eſt fauorabile eccleſiis, vt earum euitetur diſpendioſa vacatio. *c. quàm ſit de elect. in 6.* Qui fauor ceſſat in rebus, quæ iam habent commiſſarium & delegatum à Rege, qui interim adminiſtret. Ergo poterit epiſcopus per mortem prouiſus ſtatim atque nouerit ſuam prouiſionem conferre, vel præſentare: quia tunc nulli fit præiudicium, & ſuccurritur eccleſiæ vacanti: quod maximè eſt attendendum *cap. ſi Apoſtolica, de præbend. in 6.* Item ſuper ſimonia nullus præter Papam diſpenſare poteſt. *ca. nobis de ſimo. vbi plenè docto.*

Ratione perſonæ & rei vitiatur reſignatio.

VLtra ſupradicta aduertendum eſt, quòd etiam renunciatio ex tribus maximè illegitima redarguitur. Primò ratione perſonæ renunciantis, vtpote quia minor eſt: qui non poteſt reſignare. *c. 2. de ætate & qualit. Bened. in ca.* Rainutiis, *in*

in rub adiecti.e.nu.62.de teſta. Si tamen renunciauerit, tenet ceſsio. *gl. & doct. in c.ex parte, de reſti.ſpolia.* Sed ſi læſus fuerit dolo aduerſariorum, reſtituetur.

2 Nam quamuis reputetur maior in beneficialibus. *ca.fin.de iudic.in 6.* adhuc tamé reſtituitur is, qui maior reputatur, *per gloſ. & doct.in l.vna.C.ſi de momenta.poſſeſ.fuer.appella.quam doct.ibi probant, & Alex.conſ.80.in cauſa,col.1.in 7.vol.* iſta eſt communis concluſio, ſecundum quam fuit iudicatum Burdegalen. *vt refert Boër. in deciſ. Burdegal. quæſtio.350. minor quatuordecim annorum:* licet multi teneant contra, *quos ibidem ipſe refert.*

Areſtum.

3 Sed ego concluderem minorem reſtituendum, ſi cauſæ cognitio in hac renunciatione vel actu non interuenerit: quia ſine curatore ipſe non debet quicquam attentare. *c.fin.de iudic.in 6.* cùm non habeat plenam adminiſtrationem. *ca. 2. de ætate & qualit.* ideo ſimpliciter admiſtam reſignationem minoris dicerem non valere quo ad effectum, ſed poſſe reſtitui.

Minor reſignans an poſsit & à quo reſtitui.

4 Verùm ſi cauſſæ cognitio coram ſuperiore interuenerit, & expediens fuiſſe pupillo dictum fuerit, tunc reſignatio valebit: nec minor reſtitui poterit, quia deceptus non cenſetur: & ita videtur concludere Nicol. Milius *in Repertorio, in verbo minor 14. annis:* non enim videtur minor circumſcriptus, ſi fuerit vſus iure communi. *l.ſin.C.de in integ.reſtit.*

5 Ideò ſi cùm plura beneficia haberet, vno ſe exonerauerit, nequaquam videtur deceptus: *vt concludit d. Probus in rub. de renuncia.colu.2.in additio.ad Ioa. Monach.* ſiquidem onus eſt intolerabile ſeruire duabus eccleſiis parrochialibus, cùm ſit ars artiū regimen animarum. *cap. cùm ſit, de ætate & qualita.* [niſi ex vno viuere non poſſet. *vt ſcripſi in l. au prætor.ff.de minor.*]

6 Et hanc reſtitutionem concedet Papa: nam ſoluere poteſt, qui & ligauit. *l. ſi puellæ. ff.de ſponſal.* vel eius legatus: tamen ordinarius ſine alia impetratione poterit dictam renunciationem infringere cum cauſæ cognitione: quia ipſe ordinarius inſtituit, & deſtituit. *cap.cùm ex iuncto, de Hæretic.* vel agens poſſeſſorio, *vt ſuprà dixi,* & non obſtante reſignatione manu tenebitur in poſſeſsione.

Furioſus reſignare non poſſ.

7 Furioſus quoque demens, vel amens reſignare non poſſunt, quia conſenſum nó habent, niſi fortè dilucida haberent interualla. *c.quamuis.7.q.1.l.ſi.C.de cura.furio.l.furioſum. C. qui teſta.facere poſſunt. l. in negotiis, vbi deciſ.ff de reg.iuris.*

Defectus natalium non exprimatur in bulla quâ reſignare cōceditur.

8 Sed aliquando Papa concedit alicui facultatem reſignandi ſua beneficia, quæ nó poterat reſignare, vt fortè quia erant reſeruata, vel aliàs affecta: & tunc Papa concedit, etiam vt is coram ordinario poſsit reſignare ſimpliciter, ſeu ex cauſſa permutationis, in qua conceſsione non eſt opus facere mentionem, quòd reſignans patiatur defectum natalium aut alias obſtant. quia Papa non difficiliùs conceſsiſſet ſi hoc fuiſſet expreſſum: atq; ſatis Papa videtur certificatus, dicendo quæcunq; beneficia obtines, aut in futurum obtinebis, permittimus reſignare.

9 Imò ſi contigeret in ſupplicatione hos defectus exprimi, nec tamen debent in bulla conceſsionis inſeri: nam quid impediret, ne daretur facultas reſignandi, quæ tam exiguam continet gratiam: non tamen vitiabitur bulla ex hac expreſsione.

Laicus reſignationē non recipit.

10 Secundò ratione perſonæ in cuius manibus ſit reſignatio, irritabitur: vt ſi fiat in manibus laici. *ca.admonet.c.& quod in dubiis, de renuncia.* vel ſi fiat in manu Abbatis, vel alterius inferioris ab Epiſcopo, qui renuntiationem permutationis cauſſa admittere non poteſt. *cap. quæſitum, de rerum permut.Ioan.Monach.in rub. de renunc.in 6.* [Item ſi Epiſcopus ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus, ipſe non poterit conferre. *capit. cum inter, de excep. Archi.in cap.nullus.63. diſt. capit. cum dilectus. de conſuetu.* idem dicendum eſt ratione perſonæ eius, cum quo ſit permutatio, quia eſt laicus, vel excommunicatus. *cap. cum adeo, de reſcript.ca. ex literis. de tranſa.ca.poſtulaſtis, de cleric. excommu.mi.* vel aliàs inhabilis, *vt ſcripſi in tract. de pacific. poſſe.in 1 limita. & in tit. de excom.non vitand. in concord.*

Epiſcopatus coram Papa eſt reſignandus.

11 Tertiò ratione rei iudicatur inualida renuntiatio: vt ſi Epiſcopatus reſignetur coram alio, quàm coram Papa. *ca. inter. & c. quanto. de transla. Epiſcopi.*

12 Vel ſi quis renunciet iuri ſanguinis, ex re eam renunciationẽ illegitimam cognoſcemus. *l. ius agnationis. ff. de pactis. l. iura ſanguinis, de regul. iur. hoc docet Ang. Clauaſ. in verb. renunciatio.*

Literis nõ confectis an acquiratur ius.

13 Item ſi ille cui prouiſum eſt per conſiſtorium de monaſterio, vel eccleſia, literis non confectis cedat, vel moriatur. ex eius perſona de nouo per obitum, ſiue per ceſſionem expedientur bullæ: quia per prouiſionem factam per Papam in cõſiſtorio quæſitum eſt ius plenum.

14 Secus in aliis prouiſionibus non conſiſtorialibus: vt ſi quis reſignet, aut moriatur literis non confectis, non datur noua vacatio: ſed ad primum redimus vacandi modum: vt dicunt pragmatici Romani.

Liberè fiat reſignatio.

15 Adhæc reſignatio liberè fieri debet, & purè id eſt ſine pactione, conditione, vel modo. *capit. ex parte. 1 de offic. deleg. capit. cum pridem, de pac. cap. cum vniuerſorum, de rerum permuta.*

Vicarius an reſignationes recipere poſſit.

16 Non valet quoque reſignatio facta in manibus vicarij, niſi ſpecialem habeat poteſtatem ad recipiendum reſignationes. *Rota. dec. 43. nota quod vicarius, [ſub titul. de renuncia. deciſ. 1.] & 218. nota quod in antiq. [ſub tit. de renuncia. deciſ. 5.] Ægi. deciſ. 94. vicarius. & conſuluit Calder. conſ. 3. in rubr. de renuncia. hoc plenè Staphil. probat in tractat. de literis gratiæ de variis modis vaca. verſic. hinc quartò dicitur. Et dixi ſuperius in materia vicario. Epiſco. in prima parte.*

Scriptura in reſignatione neceſſaria & ſubſcriptio.

17 Item accedere debet ſcriptura in reſignatione *tex. in ca. ſicut vir, in fi. ibi petierit,* vt ab Epiſcopi honore debeat vacare, eo petitionem ſcripto dante concedendum eſt, aliter id facere non valemus. *7. q. 1. & ibi Archid. facit text. & ibi gl. in cap. Conſaldus. 17. q. 2.* ne poſteà factum reuocetur in dubiũ, & ſi voluerit poſteà reſignans beneficium repetere, propria ſcriptura incipiet ei obuiare. *capit. ſaluberrimum, prima quæſtione ſeptima.*

18 Ideo ſolent ſubſcribere reſignantes, & teſtes procuratorio conſtituto ad reſignãdum, propter vitandas etiam falſitates, quæ frequenter in his committi ſolent: & ſic eſt caſus ſpecialis in quo ſcriptura requiritur, vltra numeratos *per gloſ. in ca. 1. de cenſib. lib. 6.* Aliàs quomodo ſubſcribere illi poſſent niſi ſcriptura interueniret? quod lege Regia confirmatur *in tit. De la reformation des prouiſions des benefices. in conſti. Reg. artic. 3.* quamvis Collecta. *in c. 2. in fin. de rerum permuta.* contrarium dicat.

Reſignans ſi iterum ei reſignetur an debeat vltimus ſedere, & pro ingreſſu ſoluere.

19 Quid ſi reſignauerim præbendam & canonicatum in fauorem alicuius fortè preſſus infirmitate, qui demum eandem mihi reconualeſcenti reſignauerit, an ego vltimus in choro & ca. ſedere debeam, aut pro ingreſſu tãquam omnino nouus quid ſoluere? Do. Probus *in rub. de renunc. in additio. Ioa. Monach.* docet iſtum teneri ſoluere ingreſſum ac nouiſsimo recipiendam eſſe loco, quæ ſententia de ſtricto iure procederet, *per tex. in cap. quoniam, de ſimo.* tamen ex benignitate conſuluit contrarium Paul. Pariſ. *conſi. 93.* Michael. *in 4. vol.* non enim videtur amiſiſſe poſſeſsionem, qui ſemper eam tenuit & ſi ſtatim rediit. *l. quod calore. ff. de regul. iuris. l. penult. de diuor. & vide quæ ſcripſi inferius in reg. de publican. reſig. glo. 18.*

Renuncians liti an renunciet titulo.

20 Inſuper renunciatio eſt ſtricti iuris, & ſtrictè interpretanda: vnde qui renunciat liti & cauſæ, non renunciat titulo beneficij. *c. quia circa, de conſanguinit. l. tres fratres. ff. de pactis. l. poſtquam liti. C. eodem: & hoc docet Calder. conſi. 5. an habens, in fi. rub. de præb.* ideo renunciatio beneficij non inducitur, niſi expreſsè agatur. *cap. ſane, cum gloſ. pen. de renuncia. Dec. conſi. 551. plenè. col. 1.* & niſi in caſibus à iure expreſsis. *capit. ex ore, in fin. de his quæ fiant à maior. parte capit. dixi in tractat. nominat. quæſt. 1. & ſuperius in tacita renunciatione.*

Iuuari nõ poteſt titulo cedentis litis.

21 Et ſic quamvis partes inter ſe conueniant, vt altera conſentiant ſententiæ poſſeſſoriæ, per hoc altera pars non poterit ſe iuuare titulo illius, qui conſenſit, niſi ille conſentiens ſententiæ reſignauerit quoq; ius ſuum coram ordinario, vel Papa, & alteri parti fuerit collatum.

22 Quam-

22 Quamobrem vt tutiùs negotiũ peragatur, ſolent conuenire partes, quòd altera conſentiet ſententię ferendæ coram iudice laico, vel eccleſiaſtico, & quòd dabit procuratorium ad reſignandum coram poteſtatem habente, & facta collatione iuuari reſignatarius poterit iure illius reſignantis.

Reſignatio retentis fructibus non valet.

23 Ad hæc ſi quis reſignauerit beneficiũ retentis ſibi fructibus pro penſione, non valet reſignatio: nam decet quòd ipſe qui altari ſeruit, de altari viuat. *cap. cùm ſecundum, de præb.* tum quia venit contra conſtitutiones & iura regni, quæ prohibent vltra tertiam partem reſeruare, *vt ſcripſi in tract. de pacif. poſſeſſ. in 18. amplia.*

24 Vnde cùm quidam Matiſconen. pręfato modo reſignaſſet in fauorem Vincẽtii Flanuert: & demum eo mortuo ordinarius contuliſſet Bartholomæo magni, poſſeſſioque per iudicem Matiſconen. fuiſſet adiudicata, dicto Flanuert: curia perperam & malè fuiſſe iudicatum pronunciauit, & poſſeſſionem dicto magni per mortem prouiſo adiudicauit. anno 1512. die 5. Martii.

Areſtum.

25 Verùm alia fortè cauſa mouit Senatum: quia propter impoſitam penſionem non ſolet vitiari tota bulla. *c. ſi eo tempore, de reſcrip. in 6. facit. l. 1. C. ne rei domi. ibi, cingulo, in quo obrepſerant fraudulenter.*

Clauſula vocatis vocandis non debet poni poſt rem iudicatã.

26 Item ſi poſtquam aliquis obtinuerit ſententiam ſuper beneficio, quæ tranſierit in rem iudicatam, reſignet in fauorem tertii ante poſſeſſionem adeptam: non apponetur in bulla, vocatis vocandis, cùm iam aduerſarius fuerit vocatus, & ſuccubuerit: conſtatque illum eſſe detentorem illicitum, ideo nõ eſt opus vlteriùs cognoſcere: ſed apponetur clauſ. Amoto dicto N. & quolibet, alio illicito detentore, *de qua clauſula ſcripſi in forma literarum executorial. in Concord. & in bulla nouæ prouiſionis ſuprà.*

Clauſula parito iudicato quã do non ſit neceſſaria.

27 Si verò ſuccumbenti reſignaretur, qui priùs poſſidebat: tunc non fiet executio, ſi quidem ipſe eſt in poſſeſſione, & cõtra ſeipſum ageret, ſed fiet ſimpliciter prouiſio: nec debet inſeri clauſula, parito iudicato: quæ ſolet regulariter in eorum prouiſione poni, contra quos ſententia lata fuit: ſed hoc eſt ſpeciale vi reſignationis ſibi factæ: nec eſt opus traditione ei, qui iam illam habet. §. *venditæ, de rerum diuiſ. in inſtit.*

Item ſi quis infirmitate preſſus reſignauerit ſuum beneficium, niſi ſuperuixerit per 20. dies, beneficium vacare cenſetur per mortem, & non per reſignationem: quod ſtatuitur in reg. Cancell. 18. & quia illa regula eſt de ſeruatis in Francia, licèt bellè ſatis illuſtrata commentariis per Gomeſ. non verebor tamen quotidiana mea ſcholia ſubiungere: & quæ dudum ex vſu forenſi collegi, breuiter depromere: quod vt dilucidiùs peragamus. text. inſeramus.

Reſignantis beneficium & morientis ante 20. dies dicitur vacare per mortem.

Regula de infirmis beneficia reſignantibus.

Item voluit quòd ſi quis infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium dimiſerit, aut illius commendæ ceſſerit, ſeu ipſius beneficii vnionis diſſolutioni conſenſerit, etiam vigore ſupplicationis dum eſſet ſanus ſignatæ, poſtea infra 20. dies, à die per ipſum reſignantem præſtanti conſenſu computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium quauis autoritate cõferatur per reſignationem ſic factam, collatio huiuſmodi nulla ſit: ipſúmque beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.

Abbatiſſa moriens intra 20. dies poſt factam reſignationẽ comprehenditur in hac regula.

Glossa Prima.

Iſta regula eſt à Iulio 3. Pontifice maximo nuperrimè ſicut vides aucta: quamobrem ad verbum tranſcribendam duxi: ſingulis eius verbis congruam interpretationem ſubnectendo: *vt dicit Iuriſconſul.*